



**I**oannes ex patria sese ad gymnasium Parisiense contulit, atq; liberalium artium magister factus humaniores literas ibidem professus est. Postea animum ad Theologiam applicuit, atq; docendo, legendo, & disputando adeo profecit, ut Doctorem dignitatem magno applausu adeptus fuerit. Erat is excellenti ingenio præditus, eloquio disertus, atq; eruditione & dignitate conspicuus. Inde in patriam reuersus sese Basileam contulit, atq; doctrinam eorum Parisiensium, qui Reales dicebantur, primus ad eam Vniuersitatem transfudit, atq; ibidem plantauit & auxit. Ex eo loco Tubingã uocatus comparuit, atque eius Academiae initia magna cum laude collocauit. Postea uerò urbis Basiliensis amœnitate pellectus eò rediit, atq; concionator summus in templi, & tandem cathedralis Ecclesiæ canonicus electus fuit. Cum autem fastum huius seculi contemneret, omnibus beneficijs reiectis Carthusianum ordinem assumpsit. Itaq; in domo Carthusiana Basileæ magna innocentia uiuens, sese tantum studijs & precibus tradidit. Ibi optimos quosq; authores Ciceronem, Aristotelem, Chrysostomum, Augustinum, & Ambrosium diligenter perlegit, & multa in ijs correxit. scripsit etiam in Aristotelis Logica et physica Commentarios. præterea de Officio sacerdotis, de Passione & ascensione Domini, atq; Dialogum de arte punctandi, cum multis alijs. floruit is Basileæ anno 1490. Trit.